

bet, destinati sunt; hinc non ex domini iure ad illos perueniunt. Propterea si vel haud cultae ruinosae euadant, aut vetustate corruant, vel incendio deleantur, sumtibus ciuium semper restaurantur, et reficiuntur, qui, si non sufficiant, collectis extraneorum suffulciuntur atque augentur. Sic vniuersitas, sentiens incommodum, casum fortuitum patitur, quem regulariter fert dominus. Hinc in sententiam abire trahimur, curias nostras in dominio ciuium esse. Diximus quidem superius, domino territoriali competere dominium emens in omnia vniuersitatis bona; hinc obiici posset, curias etiam in dominio principis esse. Sed respondemus, non sequi, res esse in eius dominio, qui consentire debet in earum alienationem; alias tutor existeret dominus rerum pupilli. Dominium, quod principi conuenire asseruimus, non sicut in feudis est comparatum, vt princeps ob earum concessionem seruitia aut alia inde capiat incrementa, quin potius nihil ex illis percipit, cum ab omnibus solutae sunt oneribus Principi praestandis, recurruntque nunquam ad principem, quum vniuersitas nunquam esse desinit. Dominium ergo principis in eo solum consistit, vt tanquam dominus prouinciae propter adductam rationem politicam instructus, sciat, an alienatio rerum communium ita fiat, vt vires ciuium seruentur, illis vero et potissimum cursui iustitiae non noceatur. Quam ob rem consensus eius requiritur. Remanet ergo dominium curiarum penes vniuersitatem.

§. VII.

Distinguuntur ab aliis domibus, quae in dominio vniuersitatis sunt, dum exercitio atque actibus iurisdictionis destinatae sunt. Hoc vnicum notionem adfert, vt statim domus, in quibus confessus senatorum haberi solent, intelligantur, vbi curiae nominantur.